



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. V. Generalia quædam præcepta, ad futuram Legis interpretationem  
necessaria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41242**

rentia ab iis obsequium impetret, commemorat & beneficium & adoptionem de iis suam Deus.

Obstat, Nemo pius est qui pietatem cauet, Tullius libro 2. De finibus, nec qui spe præmij Deum timet. Resp. Non in solo præmio hæ-  
rere nos vult Deus, & ea ratione se colit: sed tantum excitat torpentes somniculososque homines tanti beneficij recordatione.

Hoc ad nos pertinet ἀλλήθρεικός. Ægyptus est idololatria. Pharaon, est Satan: seruitus, nostra animi subiectio. Rom. 6. Ephes. 6. Nostra liberatio ab ea, est redemptio quæ beneficio Christi contigit animabus nostris, & per eius resurrectionem corporibus. Jerem. 16. v. 14. 15. videtur obstare, sed est facilis solutio.



## CAP. V.

Generalia quædam præcepta, ad futuram  
Legis interpretationem  
necessaria.

**A**NTE QVAM vltius pergamus, & ad explicationem præceptorum Legis veniamus, pauca de interpretatione huius Legis dicamus, & quæ in ea regulæ statuendæ. Omnino verò sunt quatuor.

I. Hæc Lex omni populo data est, quia qui eam promulgat, omnium gentium Deus est. Ro-

man. 10. versu 12. 3. versu. 29. & qui Legem Dei nō audiuerunt, dicūtur tamē esse ἀναπολόγητοι, quōd Deum non coluerunt, Rom. 1. v. 20. Lactantius lib. 6 cap. 8. & cap. 9. Ac quidem cap. 8. his verbis, Suscipienda, ait, igitur Dei Lex est, quæ nos ad hoc iter dirigat, illa sancta, illa cęlestis, quam M. Tullius in lib. De republ. 3. bene diuina voce distinxit, cuius ego, ne plura dicerem, verba subieci. Est quidem vera Lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium, iubendo, vetando à fraude deteareat. Huic igitur Legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet. Nec verò aut per Senatum, aut per populum solui hac Lege possumus. Neque est quærendus explanator aut interpret eius alius. Nec erit alia Lex Romæ, alia Athenis: alia nunc, alia posthac: sed & omni genti, & omni tempore vna Lex, vnusque erit communis quasi magister & imperator omnium Deus. Ille Legis huius inuentor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturā hominis aspernabitur. Cap. 9. sic idem Lactantius. Aliud est igitur Civile ius, quod pro moribus vbique variatur: aliud est vera iustitia, quam vniformem ac simplicē proposuit Deus: quam qui ignorat, & ipsum Deum ignoret necesse est. Hactenus ille.

2. Nulla in huius Legis interpretatione faciendā locum habet *ἰπέκεια* & æquitas. In quo differt ab omnibus omnium populorum legib<sup>9</sup> quia vt est in. l. Omnis diffinitio. D. De regulis iuris & libro 5. Ethic. apud Aristotelem, admittunt temperationem aliquam humanæ  
leges

manæ leges. Hæc nullam vel limitationem, vel restrictionem, sed vbique & semper obtinet, Nihilque nos ab ea excusat, aut eximit, nec ætatis, nec personæ, neq; sexus cōditio. Et esse quidem aduersus hanc legem peccādi incitationes possunt occasionesque plures. Ratio tamen excusatioque nulla, vt peccatum non sit, si quid aduersus illam fiat. ~~Et quod si sit, non est peccatum~~ ~~in hac Lege aliquādo mortaliter, aliquando venialiter tantum peccari, vt si res ipsa, in qua est peccatum, est leuis.~~ ~~Ita quoque, si sit, non est peccatum~~ et si non semper æqualia sunt peccata, quæ in hanc Legem committuntur, ~~vt præclare docet Paulus Rom. 6. v. 23.~~ vt præclare docet Paulus Rom. 6. v. 23.

3. Ex parte totum in singulis huius Legis præceptis colligendum est, & ex exteriori actu ad interiorē concludendum.

4. Ex affirmatiua negatiua colligenda est, & cōtrā, vt sciamus non modò doceri nos à malo abstinere, sed etiam facere bonum. Nec mirum hoc, cū etiam ethnici ipsi hanc esse Moralium præceptionum vim & interpretationem intellexerint, quemadmodum ex hoc Iuuenalis loco satis colligi potest Satyra 14,

*Cūm dicis iuueni stultum qui donat amico,  
Qui paupertatem leuet, attollatque propinqui,  
Et spoliare doces, & circumscribere, & omni  
Crimine diuitias acquirere, &c.*